

Supremo archiatro Benedicente! Aegrum singultu ex feбри maligna laborantem ... / praeside ... Dn. Georgio Wolffgango Wedelio ... publicè examinandum proponit responsurus autor Simon Andreas Beckerus ... MDCLXXVI.

Contributors

Becker, Simon Andreas, active 1676-1678.

Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.

Krebs, Samuel
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis Krebsianis, [1676]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ke2aedty>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

SUPREMO ARCHIATRO BENEDICENTE!

47

ÆGRUM
SINGULTU
EX FEBRI MALIGNA

laborantem,
IN ILLUSTRISALANA,

PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellen-
tissimo atque Experientissimo,*

DN. GEORGIO WOLFF-
GANGO WEDELIO,

Medic. Doct. & Theoretices Prof. Publ.
famigeratissimo, Medico Ducali Saxon. gravissimo,
& S. R. I. Academ. Natur. Curios. Col-
legæ primario,

Dn. Patrono ac Præceptore suo

*observantissimè colendo,
publicè examinandum proponit*

RESPONSURUS AUTOR

SIMON ANDREAS BECKERUS,
Hallensis Saxo,

In Acroaterio Medicorum

ipsis Septembr. Idibus A. O. R. MDC LXXVI.

JENÆ,
TYPIS KREBSIANIS.

17

AGRIUM

STINGULUM

EX FERRI MALLIGNA

LABORANTIA

IN ILLUSTRI PALATA

PRÆSIDI

Viro Nobilissimo, Augustissimo, Electori

Magnoque Imperatori

DN. GEORGIO WOLFFE

GANGEO WIDELIO

Medici Doct. & Theologiae Prof. Publ.

Imperialis & Palatinae Medicus

in S. R. I. Archiducibus, Caroli

Imperialis

Doct. Patrocinio

Magnoque Imperatori

Imperialis & Palatinae

SIMON ANDRIAS BECKERUS

Philosophiae Doct.

In theologiae Magister

in S. R. I. Archiducibus, Caroli

Imperialis

Magnoque Imperatori



PROOEMIUM.

NUllum viscus in toto microcosmo confederatione majori gaudet, quam ipse architriclinus ventriculus. Dispensat hic singulis sua, omnibus compatitur, à singulis noxa in eum redundat. Omnibus amicus est, à quovis ergò *συμπάθειας* signa mutuatur; omnibus præest, unde & primus peccat facilè, & primus aliis peccantibus afficitur.

Hic quasi alterum offendere licet cor, caput, renes, uterum, adeò in se tam promptè suscipit vitia, ut ipsum solum affectum credas; ipse quidem satis propriis conflictatur cum morbis, simulat tamen suos non rarò, qui alius sunt culinæ. Imò totum corpus, si ventri benè, benè habet, & si totum patitur, ventri malè esse oportet.

Videas non rarò singultientem agi animam, aliâ vice vel levi errore eosdem audias sonos, citra sanitatis dispendium. Ast quando cœlum thoracis vehementiùs incutit, & aëra verberat, intimiùs affectus, næ graviter & se laborare plangit, & misero planctu machinæ totius catastrophem prænunciat.

Operæ duximus pretium SINGULTIENTEM docere in proscenium, opem laturo, cum DEI auxilio, medicam, quod faustè ut eveniat, precamur.

HISTORIA.

Vir XXXVI. annorum, temperamenti cholericofanguinei, habitûs carnosî, cum nuper ventoso & pluvio aëre iter pedes fecisset, variis

item diætæ erroribus hæctenus peccasset, præcipuè verò carniū salitarum, infumatarū, pinguium, brassicæ, & aliorum *δυσωσίων* delectatus usu, potu item crebriori gaudens, colicis doloribus & cardialgiâ non infrequenter aliàs infestatus, nuper, quod insolitum ipsi non est, iræ nimium quantum exæstuans fervore, cùm salmonis esu & vini potu, juxtim ac fructuum fugacium, fragorum, cerasorum, stomachum onerasset, filii, æstu continuò cum diarrhœa laborantis, non minimùm affectus morbo, indeque febrî conflictatus malignâ, die nonò primùm diarrhœâ viscosâ & biliosâ corripitur, hinc singultu, frequenti admodum insultu impetente, concutitur totum quasi cum diaphragmate corpus, cum debilitate, delirium, vigiliæ & motus maxillæ inferioris tremulus adsunt: nudus vult videri; pulsus tamen cum celeritate æqualis; sitis non exigua, appetitus solidorum prostratus. Petitur consilium.

RESOLUTIO.



Affectus, qui ægrum nostrum maximè torquet, SINGULTUS est: si violentiam motus spectes, sat gravis; ob conjunctam verò FEBRIM MALIGNAM, admodum periculosus ac urgens, ut hinc meritò nos in primariam sui considerationem rapiat: alterò tamen oculò ad febrim ejusque *κακότητος* meritò directo.

Refertur aliàs à Præticis *singultus* inter symptomata aetio-
nis naturalis læsæ, in expultrice ventriculi irritatâ. Irritatur
primò facultas naturalis, deinde ei succurrit animalis. Est
enim *motus ventriculi pravus, vehemens, inanis, sursum versus, ab
irritatione facultatis expultricis originem trahens.*

An convulsivus simul sit motus dubium videtur, quòd
convulsio tantùm contingat musculis ac nervis motui sacra-
tis, vel iis partibus, ubi motus voluntarius regnat. Cum
verò ventriculus non sit musculus, nec singultus, qui ipsi ac-
cidit, convulsivus propriè dici potest motus; sed tantùm,
ut verbis *Galenii lib. 3. de caus. symptom. cap. 2.* utamur, est *ὄϊον
καὶ αὐτὸς* seu *quasi convulsio* & eidem non adeò dissimilis, sed af-
finis, præcipuè cum nervosum genus in nostro ægro apprimè
sit affectum.

Affectus hujus præsentiam demonstrant **SIGNA ES-**
SENTIALITER INHÆRENTIA, quæ non anxie heic quæ-
renda, cum præter calorem febrilem hætenus in corpore
exæstantem, visu & tactu motus ille depravatus se mani-
festet, imò auditu ab astantibus percipi queat. Non solùm
enim frequenti admodum ægrum impetit insultu, sed & tam
vehemens est, ut totum quasi cum diaphragmate corpus con-
cutiatur.

ESSENTIALITER CONSEQUENTIA, singultui par-
tim, partim febri propria, idem confirmant, ut *in actionibus
naturalibus* appetitus solidorum prostratus, sitis non exigua:
in vitalibus debilitas, pulsus celer: *in animalibus* vigiliæ & mo-
tus maxillæ inferioris tremulus: *in rationalibus* delirium, im-
pudentia: *in excretis* diarrhœa viscosa & biliosa.

CAUSÆ PRÆGRESSÆ, abusus scilicet sex rerum non
naturalium, imprimis in victu; febris item maligna, aliaque
affectum hunc provocare solita, de quibus paulò post fusiùs,
consentiunt.

Nec **SIMILITUDO** abludivit; taliter enim affecti, à ne-
mine non, etiam ex plebejis, pro singultientibus procla-
mantur.

SUBJECTUM ADÆQUATUM statuimus *ventricu-*

lum totum. In hoc enim, ut *Excellentissimi Dn. D. Praesidis, Patroni ac Praeceptoris mei summè de venerandi* verba mea faciam, in singultu semper adsunt humores, si non mole; tamen virtute: si non copiâ; tamen qualitate, qui acredine sua salinâ peccantes stimulant ac lancinant superius ejus orificium, quod pro PRINCIPALI agnoscimus. Cum enim nerveum sit, ac proin exquisitò sensu præditum, facillimè stimulum per-sentiscit & ad expulsionem ejus, quod molestiam ipsi parit, incitatur.

Neque *Plateri* disensus nobis erit obstaculo, qui *lib. de function. lesion. 2. cap. 5. p. 469.* singultum, in febribus præcipuè malignis, (quali noster quoque affligitur) à vaporibus acribus, diaphragma irritantibus, fieri autumat, & inde sub-jectum hujus mali septum constituit transversum. Verùm, uti non negamus, diaphragma cum pulmonibus quoque affici in singultu, quod itidem in nostro observare datur: id tamen secundariò saltim ac per accidens fieri censemus, & pal-marias partes affecto ventriculo tribuimus. Cum enim ex *Anatomicorum* demonstrationibus constet, propinquum non modò esse ventriculo diaphragma; sed & communem tuni-cam, imò eosdem nervos orificio ventriculi habere insertos, necesse quoque est, ut affecto hoc septum transversum in molesti sensus consortium trahatur. Idem & *Sylvio* aliisque *ὁμοψήφοις* reponere possumus.

Afficitur autem in nostro patiente *ventriculus* magis per consensum, transmissis ad eundem ex toto corpore, vaporibus acribus, malignis, id quod in singultuosus ejusmodi febribus fieri communiter assolet. Nec tamen idem omni eximendus proprio crimine, cum ob cumulata diætæ vitia, vitiosorum humorum saburram cumulaverit.

Cor etiam cum *totâ massâ sanguineâ* ob febrilem æstum, indeque ipsum quoque nervosum genus suos patitur manes.

CAUSAM IMMEDIATAM cum *Sennerto* aliisque *Practi-cis* dicimus *vellicationem* seu *irritationem facultatis expultricis.*

MEDIATAM PROXIMIOREM & quidem RATIONE ESSENTIÆ *Hippocrates sect. VI. aph. 39. πλῆρωσιν ἢ κένωσιν, re-pletio-*

pletionem & inanitionem existimat: sed hæ ipsæ, quæ tales, nunquam singultum excitabunt, nisi simul irritando agant. Nos receptâ methodo duplicem constituimus, *humorosam & vaporosam*.

Peccant in ægro nostro HUMORES biliosi, acres, falsi & viscosi, quos abundare victus prægressus & diarrhœa superveniens demonstrant. Isti, cum viscedine suâ membranarum plicis intimiùs sese insinuent, firmiùs inhæreant, ac potentiùs lancinent, vehementiam hujus affectus causantur: imò quod majus est, exhalationes malignæ, se cum iis conjungentes, statum periculosiorem causantur.

Uti verò aliàs, quod *Excell. Dn. D. Præsidentem* differere audivimus, singultus sæpius causa est *flatus contentus, coagulatus quasi & incarceratus*, id quod curatio per ructum (quem à flatu resoluto idem derivat,) patefacit, ut qui singultui superveniens eum tollit, unde à contrariis utrumque fieri causis facile colligitur: ita & hoc ipso in casu halitus talismodi malignos subtili acrimoniâ plicis & tunicis stomachi membranosis inhærere & quasi incarceratos intimiùs mordicare certum est, unde orificium ejusdem superius laceffitur, ut ipse inde commotus ad eorundem per superiora cum sonitu expulsionem vehementem compellatur.

Paracelsi F um, *Fabri* primæ coctionis vitia, *Helmontii* acorem, *Sylvii* vitiosam effervescentiam, *Tachenii* alcali & acidum, *Cartesii* particulas improportionatas, aliorumque opiniones heic recensere & examinare, injuncta ex temporis penuriâ brevis nobis interdicat.

RATIONE MODI ESSENDI peccant humores hi ac flatus

1. *quantitate*, quatenus ob promiscuam alimentorum ingurgitationem priùs factam, & largiori potu ad extinguendum æstum congesti, mole suâ premunt ventriculum & distendunt.
2. *qualitate*, dum non solùm acrimoniâ salinâ vellicant continuò, sed & malignitate flammæ vitali insidiantur.
3. *motu* tum *generationis*, tum *locali*. Generata nempe fuit prava isthæc materia tam in ipsis ventriculi stabulis, quàm extra ejusdem pomoeria, quatenus scilicet mali fomes totius massæ

massæ sanguinæ à crasi sua deflectentis, vaporesque hostiles ad ventriculum mittentis, vitiò ad ipsam derivatur.

MEDIATÆ REMOTIORES causæ itidem ad ægri nostri affectum suum addidere symbolum, & quidem

EX NATURALIBUS *Temperamentum cholericum sanguineum* ad generationem acrium biliosorum humorum maximè proclive.

Nec *etas* abludit, utpote succorum biliosorum, & morborum inde resultantium, per se feracissima.

EX NON-NATURALIBUS accusandus venit

Aër ventosus & pluvius, cui noster, iter pedes faciens, sese exposuerat. Quantum verò hæc aëris intemperies & inspiciendo & corpus nostrum ambiendo, noxæ afferre possit, in propatulo est.

Vitæ errores varii fores tum febrim malignam, tum singultui, reddiderunt patentissimas: dum non modo brassicæ; sed & carniū salutarum, infumatarum, pinguium, aliorumque *δυσπνήτων* abusu delectatus fuit: nuper quoq; salmonis, fructuum fugacium, fragorum, ceraforum esu stomachum oneravit, ex quibus cruditates, humoresque cumulavit putridos, salios, biliosos, acres, viscidos; neque hoc correxit potus largior, sed malum potiùs auxit, dum salia acria hinc resoluta & vehiculum adepta stimulos suos eò fortiùs infigere potuerunt.

Motus ex itinere pedestri particularum heterogenearum exagitationem promovit, & dispositionem latentem eò promtiùs in lucem protraxit.

Animi pathemata, adversâ fronte occurrentia, non minimam hæc merentur culpam. Im enim, cujus fervore & aliàs & nuper nimium quantum exæstuavit, docente *Galeno lib. de cognosc. affect.* spiritus in corde & arteriis inflammando, sanguinem in venis concitando, ejusque motum accelerando, cerebrum concutiendo, nervos convellendo, humores exagitando, bilis ferociam ciendo, affectum nostrum insigniter promovit. *Mæror* ex adverso vitia ex ira prognata non modò non emendavit; sed & subitâ sanguinis ejusque circuli mutatione, naturæ semper inimicâ, adauxit.

EX PRÆTERNATURALIUM classe primaria singultus
causa se sistit *febris maligna*, quippe quæ, experientiâ teste,
non rarò symptoma hoc comitem sibi adsciscit, dum eum
sanguini statum inducit, ut tum regendis tum demulcendis
partibus improportionatus evadat, & vapores acres & ma-
lignos, nervosum ventriculi orificium infestantes, de se spar-
gat.

Non mirum igitur ex tam foecundâ causarum morbifica-
rùm segete largam symptomatum prodiisse messem, quæ, ordi-
nem in Historia propositum observaturi, recenserebimus.

1. *Diarrhœa viscosa & biliosa adest*, ob humores similes, ex
copiosè assumptis facilè putrescentibus in ventriculo & intesti-
nis congestos, & ex massâ sanguineâ secretos, horumque interi-
orem tunicam ad excernendum sollicitantes.

2. *Debilitas* accedit, dum vires ex pravo febris more, sin-
gultûs vehementiâ, & præviâ dejectione copiosâ nimium
quantum depauperantur, & corpus spiritus defraudatur.

3. *Delirium* subsequitur, dum vapores acres & maligni ad
caput rapti spiritus animales turbant, accendunt, adeoque
extra spheram suam vagabundi mentis eccentricitatem in-
ducunt.

4. *Vigilia* urgent ob lymphæ paucitatem & acrimoniam,
atque hinc svaves *ἀναψυκτικαί*, poris cerebri demulcendis
necessarias, denegatas.

5. *Motus maxillæ inferioris tremulus* ex irritatione nervosi
generis convulsivâ provenit.

6. *Nudus videri vult*, quòd ob mentem laborantem pudor
etiam omnis exulet, ipseque *ἀπαθής* sit, & incurius.

7. *Pulsus celeritas* calori febrili, & hinc majori, æquali ta-
men, sanguinis ebullitioni originem debet.

8. *Sitim non exiguam* produxit tum febrilis æstus, totum
infestans corpus ejusque serum depascens, tum sicci, acres,
mordaces ac falsi halitus è ventriculo ad cesophagum & fau-
ces elevati, ob membranæ communitatem easdem arefaci-
entes.

9. *Appetitus solidorum prostermitur*, quod & ventriculi calor

juxtā ac fermentum malè habent, & natura, in solā morbi deviciōne occupata, provisiōni totius minùs invigilat, & ut in aliis acutis pleniorē victum averfatur.

Perlustratā jam prolixā satis symptomatum serie, quale **PROGNOSTICON** statuendum sit, circumspicere lubet.

1. **SALUTIS ET MORTIS respectu.** Si febrim acutam, ac mali moris conjunctam; si vehementiam affectus, ejusque diuturnitatem; (ad quartam enim diem jam perseverat) si delirium complicatum; convulsiones, aliaque pessima symptomata consideramus, periculosissimum ægri statum conjicimus: imò, si *Epiphaniæ Ferdinandi histor. 27.* testimonium firmæ veritatis est, conclamatum esse de patiente nostro asserendum foret, ut qui per **DEUM** testatur, singultum in febribus malignis, tanquam characterem summè exitialem sibi semper observatum: quin juxta alios delirium superveniens nullam evasione spem relinquit.

Verùm cum miracula sæpè fiant in medicina, dumque æger spirat, non desperandum sit, expulsus quoque æqualitate spes aliqua adhuc affulgeat, animum non omnem despondemus.

2. **LONGITUDINIS ET BREVITATIS.** Cùm affectus noster ex genere acutorum sit, de longitudine non est, quod metuemus, quamvis certum durationis terminum præfigere vix liceat; nullum interim dubium, fractā jam & ad terminum deproperante febris violentiā, ut causā singultus primariā, & istum recessurum.

3. **MODI EVENTUS:** Hunc ex *Hippocratis 4. acutor. 59.* mente ad salutem fore prælagimus materiæ morbificæ vel dissipatione, five per vomitum, five feces alvinae, five sudores, five urinas acres fiat, vel ad partes ignobiliores per abscessum detrusione: sic enim ablato mali fomite & ipsum auferri necessum est.

Acceleranda igitur **CURATIO**, quæ juxta s̄vetam m̄dendi methodum tribus absolvitur **INDICATIONIBUS**: **CURATORIA**, singultum ipsum, corpus maximè concutientem & symptomata cetera, non neglectā febre, mitigante: **PRÆSERVATORIA**, causis removendis intentā: **VITALI**, viribus tam præsentibus, quàm futuris prospiciente.

Tri-

Triplici verò ex fonte remediorum apparatus depro-
mitur.

E CHIRURGICO se sistit nobile aliàs ac genero-
sum remedium VENÆ SECTIO, Hæc licet in principio fe-
bris ad fervorem sanguinis compescendum, non refragante
temperamento corporisque habitu, cum successu adhibita
fuerit; vix tamen singultui curando quicquam commodi ex
ea nobis promittere possumus.

Par ratio CUCURBITULARUM SCARIFICATARUM
est, aliorumque venæ sectioni vicariam opem præstantium.

CUCURBITAM VERÒ SICCAM, cum luculentâ flammâ
ventriculo, seu scrobiculo cordis appositam, ex monito *Ludov.
Mercati, Fonsæ, Zacut. Lusitani*, aliorumque commendamus,
licet quidam cum *Aetio* dorso circa loci affecti regionem, alii
nuchæ cum successu affigendam velint. Utrobique applicata
in nostro ægro ad tempus quidem delenivit malum, è vestigio
tamen hinc rediens.

Extremorum LIGATURÆ, nec non FRICTIONES re-
vellendi gratiâ non incommodè institui possunt.

Ex *Claudini* etiam consilio non incommodè fasciam ven-
tri obducendam & circumligandam tuademus, ut ita ventriculus
simul comprimatur, ne tanto cum impetu concuti possit. Sic
enim singultus ad minimum mitior evadet, neque ita medium,
supremum & infimum ventrem lassabit.

Sed quoniam chirurgia insufficientia ferè suggerit præsi-
dia, ad fontem PHARMACEUTICUM nos converti-
mus, & ex eo *εὐπορεσιότερα*, scopoque, tum feбри, tum singultui
occurrendi, nobis præfixo accommodatiora feligimus.

Primum heic obtinent locum LENIENTIA, quæ materiam
peccantem abstergunt & leniter educunt, ac simul biliosam
fermenti febrilis ebullitionem præcipitant. Fortiora enim
purgantia propter acrimoniam & tumultum majorem ac ficci-
tatem, quam inducunt, malum potius augent. Utut verò com-
mendentur aliàs imprimis *rhabarbarum, sena, passula, mechoa-
cana* tum *nigra*, tum *alba*, cujus infusum in perinacissimo 20. &
singultu præsentaneam tulisse opem ab *Epiphan. Ferdinando*

memoratur. Nos tamen hîc cautos esse jubet ac lenissimis
salcim contentos ægri nostri status, v. g.

℞. ℞ aloet. D. D. Pras. ℞j. extr. theriac. ḡ. iv.

⊙ bezoard. gtt. i. eff. castor. parùm.

M. F. l. a. pilulæ, consperg. C. C. philos.

S. Lind-Villen auff 2. mahl.

℞. rad. scorzon. ℞℞. rhabarb. Alexandr. ℞j.

fol. sen. s. s. ℞ij. cinam. zedoar. ā. ℞j.

passul. minor. ℞j. flor. cordial. ā. p. ij. crem. ☿ri ℞iij.

M. D. in chartâ. S. Lind species, coquendæ c. s. q. aq. simpl.
ad tertias, cujus brodium hinc calidè sumendum. Et hæc ipsa
tutiùs propinari queunt, quòd laxior paulò alvus jam minus
talis observetur.

Nec officio suo deerunt CLYSTERES: isti enim præter
vim revulsoriam, quâ in febribus singultuosis opus est, blan-
dos halitus vaporesque, materiam acrem, singultum fovem-
tem, demulcentes ac temperantes de se mittunt; v. g.

℞. rad. scorzoner. lil. alb. contrayeru. alth. ā. ℞ij.

herb. ruta, centaur. min. marrub. ā. mj.

flor. lil. conv. paralyf. ā. p. ij. chamæm. Rom. mß.

sem. carvi, anisi, fœnicul. ā. ℞j. castor. ℞j.

Coq. in s. q. decoct. bord. excoct. Colatur. ℞. ℞j. adde

elect. bened. laxativ. ol. ruta ā. ℞j.

⊙ fiat. ℞j. vitell. ov. n. j. M. F. l. a. clyster.

℞. decoct. carminat. ℞x. electuer. de bacc. laur. ℞℞.

mellis anthosat. ℞j. ol. amygd. d. ruta ā. ℞℞. ☉lis gemmei ℞ij.

vitell. ovi n. j. M. F. enema.

VOMITORIA quamvis alioquin singultui, ab aliis causis
v. g. ingluvie, venenis &c. orto, præsentaneam ferre opem so-
leant: cum tamen indicatio sufficiens heïc desit, humoresq; ma-
gis qualitate, quàm copiâ peccent, nausea quoque & alia dispo-
sitionis ad vomitum signa deficient, eorum usu super sedemus,
cui intentioni cæteroquin oxysaccharum emeticum Angeli Sala,
quod malignitati simul resistit, ☿ emeticus Mynsichti, & alia ex
chimicorum officinis depromta, satisfacere apta nata forent.

Ad SUDORIFERA potius iisdemque admixta alexi-
phar-

pharmaca seu bezoardica progredimur, eaque potissimum eligimus, quæ ad febrilem insultum compescendum, & ad sanguinem nimis rarefactum, & ad resolutionem tendentem, in ordinem redigendum, ejusque crasin restituendam reliquis dubiam palmam reddunt, in quibus proin maxima salutis spes, præter roborantia & symptomati urgenti debita posita erit.

Rx. *Ræ Bezoard. Michael. D. D. Præsid. ā. ʒj.*

essent. castor. ℥ij. zedoar. ℥j. D. in vitro.

S. Herk- und Stärck- Linctur ʒo. Tropfen auf 1. mahl.

Rx. *theriac. opt. ʒj. ʒ diaphoret. ℥j. sirup. de scordio parum.*

S. vermischter Theriack.

Rx. *C. C. f. Δ, ʒii diaphoret. ā. ℥j.*

bezoard. Oris, magist. eboris ā. ℥℞. M. F. Pulvis.

S. Bezoardisch-Herk-Pulver.

Rx. *C. C. f. Δ, ebor. f. Δ ā. ℥℞.*

conall. præp. ℥j. perlar. præp. unicorn. ver. ā. ℥℞.

M. F. Pulvis. S. ut supr.

Rx. *ʒ diaphor. ℥℞. lap. bez. or. ḡ. v. pulv. anod. confort. g. iv.*

ol. bezoard. gtt. ij. M. F. pulvis.

Rx. *ʒ diaphor. ℥j. bezoard. Stial. ℥℞.*

magister. perlar. conallior. ā. ḡ. v.

eleosacchar. citri ℥℞. M. F. pulvis.

S. Schwitz-Pulver auf 2. mahl.

Rx. *conserv. scord. ʒj. bezoard. Stial. ḡ. vi.*

laudan. opiat. ḡ. ij. sacchar. parum. M. F. bolus.

Rx. *rob. ebul. confect. de hyacinth. ā. ʒj.*

theriac. ʒ℞. C. C. f. Δ ℥j. M. S. Schwitz-Cafft.

Rx. *▽ card. benedict. galeg. ā. ʒij. de corde cervi ʒj.*

extr. scord. card. benedict. ā. ʒ℞. bezoard. minor. ℥j.

sir. scorzon. q. s. M. F. potio. S. Herkträncklein.

Rx. *▽ cinam. cydoniat. bezoard. ā. ʒj.*

theriac. Androm. elect. diascord. Emcastor, a. ʒ℞.

essent. castor. ℥j. sir. cort. citr. ʒij. M. F. Haustus.

Nec DIURETICA nullam spondent opem, utpote quæ materiam salinam fixiorem ad vias urinarias secum devehunt & eliminant e, g.

Rx. *rius Ori dulc.* ℥j. *ri rectif.* ℥ij.
essent. carmin. D. D. Pres. ℥℞. *anod. gtt.* vj.

M. D. in vitro S. Zertheilende Mixtur.

Rx. *lap.* Ⓞ. *preparat.* ℥℞.

Ⓢ *volat. ebor. fixat.* ḡ. xv.
sem. lycopod. ℥℞.

Fris nat. ḡ. vj. M. in charta.

S. Treibe-Pulverlein.

Rx. *cliff.* ʒ *ac.* ℥ij. *extr. galang. zedoar.* ā. ℥℞.

M. D. in vitr. S. Essenk ins Bier.

ALTERANTIA tonica & calorem febrilem mitigantia
subinde interponi possunt.

Rx. ▽ *scorzon. fl. sambuc. acac.* ā. ℥j.

Hercul. Saxon. frig. cinam. cydon. ā. ℥vj.

Ra *corall. Michael.* ℥ij.

pulv. bezoard. Senn. epilept. Marchion. ā. ℥℞.

lap. bezoard. Orient. ḡ. vj.

sirup. corall. acetosit. citri ā. q. s. ad gratiam.

M. F. l. a. Potio. S. Stärckträncklein auf etl. mahl.

Rx. ▽ *bormg. bugloss.* ā. ℥ij. *cordial. H. S. frig.* ℥j.

bezoard. cinam. s. v. ā. ℥℞.

eboris s. Δ, lap. Ⓞ preparat. corall. preparat. ā. ℥℞.

mistur. simpl. ℥ij. *confect. de hyacintb.* ℥ij.

sirup. cinam. cydoniat. parum. M. F. Potio, in fict.

S. Alterier-Träncklein.

Rx. *pulv. pannon. rubr. bezoard. D. D. Pres.* ā. ℥ij.

specif. cephal. ℥j. *lap. bezoar. occident.* ℥℞. M. F. pulvis.

D. in scat. S. Stärckpulver.

Rx. *conserv. ros. Olat. fl. tunic.* ā. ℥℞.

spec. degemm. frig. diarrh. abb. ā. ℥ij. *diatr. sandal.* ℥j.

conf. alkerm. incompl. ℥j. Ⓞ *mentb.* ḡ. iij. *sir. corall.*

q. l. M. F. l. a. Electuarium.

D. in pyxid. S. Herkz und Magen-Latweg.

Rx. *gelatin. C. C. eboris, cum ▽ scorzoncr. extract. & Ra fl. bellid.*

vel aquileg. tint. a. ℥j. S. Kühlende Galred.

Rx. ef-

Rx. *essent. carminat. Dn. D. Præsid. ʒi.*

castor. ʒß. Ræ anod. Langelott. ʒß.

S. Stärck-Essenz 30. Tropffen pro dosi.

Rx. *sem. 4. frig. maj. papav. alb. a. ʒij. amygdal. dulc. ambros. ʒij.*

F. cum betonic. menth. a. q. l. cinam. cydon. ʒj. emulsiō,
adde spec. diamargarit. frigid. ʒß. magister. corall.

pulv. bezoard. alb. Rolfinc. a. ʒß. edulcor. sirup. papav. simpl.

S. Kühl- und Stärck-Milch vor dem Gebrauch wohl
umzurütteln.

Cavendum tamen, ne in ejusmodi refrigerantibus exhibendis simus liberaliores, ne tonus ventriculi magis iisdem labefactetur, præsertim jamdum justo humidior.

Utrique verò scopo optimè satisfacient ANODYNA, quæ ipsa unicam & potissimam spem præbent, votoque nos damnabunt, tum alexipharmacis juncta, intentione secundariâ, ut partim in dictis fecimus, partim in aliis quoque facere licet; tum primariâ, urgente magis mali vehementiâ. Sic præ aliis omnibus castoreum, & ex eo præparata commendanda veniunt, imprimis si cum opiatis maritentur. Horum enim virtutem in singultu tum alio, tum imprimis convulsivo, sperato cum eventu semper expertum se testatur *Nobil. Dn. D. Præses in Opiologiâ suâ verè curiosâ lib. II. sect. 2. cap. 4. p. 116.* Commendabimus hanc in rem sequentia.

Rx. *essent. theriacal. ʒij. castor. ʒj. anod. ʒß.*

M. in vitro S. Magen-Essenz.

Rx. *extract. theriac. castor. zedoar. ā. ḡ. iv.*

laud. opiat. ḡ. iij. F. c. essent. castor. pilulæ n. xij.

S. Pillen gegen das Schlucken auf 2. mahl.

Rx. *electuar. diascord. Emcast. ʒj. vel Sylvii ʒj.*

trochisc. narcotic. Plater. ʒß. ʘ menth. gtt. j.

pulv. stomach. Mynsicht. q. s. ad consistentiam. M. F. bolg.

Rx. *ʒris nat. Hung. pulv. anodyn. Michael. a. ʒß.*

M. F. Pulvis S. Ruhe-Pulverlein.

Rx. *pulv. ʘtant. D. D. Præf. bezoard. cephal. a. ʒß.*

laud. opiat. ḡ. iß. ʘ caryophyll. gtt. j. M. in ch. S.

Stärck-Pulverlein auf 2, oder 3. mahl.

PTARMICA ægro nostro usui fore; Hippocratis aph. 13. sect. VI. effato confirmamur, modò ipsa jam viarum siccitas, præter delirium, ne stimulus sentiat, actuatioq; impediatur, non in causâ sit.

℞. flor. lil. conv. spec. diamaior. Myns. ā. ℥j.
castor. ℥℞. ♂ rorismar. lavendul. ā. gtt. ij.
ambra, moschi ā. ḡ. j. M. F. pulvis. D. in scat. S.
Niese-Pulver.

EXTERNA in hoc affectu non minimam merentur laudem. Sic cataplasma de fermento, & contra singultum Mynsichti calidè stomacho intra duo linteamina applicatum pro singulari experimento habetur. Idem præstat Timai ex cineribus quernis, vino malvatico imbutis, vel sequens B. D. Michaelis:

℞. ferment. acerrimi ℥iij. pulv. menth. ℥j.
zedoar. ℥℞. sem. cumin. carv. anis. ā. ℥ij.
† citri rosac. q. s. F. Cataplasma.

Addi etiam pro lubitu potest aliquid theriacæ.

Emplastra quoque v. g. de galbano crocatum Mynsichti, de baccis laur. de crustâ panis &c. heic suo non defraudanda sunt encomio; vel

℞. empl. de bacc. laur. stomachal. usit. ā. ℥j.
malaxentur c. ♂ menth. vel stomach. Craton. q. s. extend. super alutam & obducatur sindone rubrâ S. Pflaster wieder den Schlucken.

℞. empl. de crusta panis ℥℞. de tacamah. mastich. a. ℥ij.
theriac. Androm. ℥j. malaxt. c. ♂ anis. carv.
it. scorpion. Matthiol. F. l. a. scutum S. Magen-Schild.

Fotus ex † acerrimo cum castoreo, sinapi & pipere calidè beneficio spongiæ ventriculo applicatus, commendatus à Roderico à Fonsecat. tom. II. consult. 27. p. 153. & hîc in usum trahi poterit.

Sacculus etiam parari potest talis.

℞. flor. chamem. calaminth. rorismar. ā. ℥iij.
summit. menth. absinth. pontic. marrub. ā. m̄j.
cort. citri, macis, galang. a. ℥ij. N. M. n. j.
sem. cumin. anis. a. ℥℞. castor. ℥j.

Concis. & contus. gr. m. insuantur sacco interpas-
fato, irrorentur

℞ carminat. Mysicht. it. menth. Nat, gtt. v. vi. vel
spiritu zedoaria parum.

Balsama & linimenta non minorem habent utilitatem,
quare sequens antilœmicum & stomachale commendamus:

℞. ʒi. N. M. express. ʒi.
angel. junip. citr. succin. aneth. anis. a. gtt. iij.
cinamom. caryophyll. ā. gtt. ij.
camph. gtt. j. balsam. peruvian. ʒj. M.F. Balsamum.
S. Kräftiger Magen-Balsam.

℞. ʒi. chamom. menth. aneth. castor. ā. ʒj.
Nat. menth. anis. mastich. absinth. a. gtt. vi.

Cere parum. M. F. Linimentum. S. Magensälblein.

Applicari possunt dicta hæc circa scrobiculum cordis, vel
illi dorsi regioni, quæ superno ventriculi orificio responderet,
plantis item pedum & cordis climati ipsi. Omittimus hæc bre-
vitatæ studio sacculos ad pulsus, ad cor, aceto bezoard. ∇ carf.
aur. ros. fragrantiss. imbuendos, quæ singula cum successum
admitti poterunt.

Cum DIÆTETICO concludimus fonte, ab ægro studio-
sissimè observando.

AER justam teneat temperiem, magis tamen ad calidita-
tem inclinantem. Frigidus enim malignitatem ad cor retroce-
dere cogit, mortemque sic crebro at infelici ægrorum experi-
mento accelerat.

CIBI sint temperati facilisq; concoctionis, ut juscula ave-
nacea, ova sorbilia, brodium & carnes pullorum gallin. passulis, a-
mygd. d. cortic. citri ejusq; succo conditæ. Vitentur verò omnia a-
cria, salsa, aromatica, ut & fructus horarii, facilè quippe putrescen-
tes: condita item varia ceraforum, berberum, ribium, & similia,
quibus ordinariè palato ægrotorum inservire solent, refectio-
nis putatitiæ gratiâ, exulent vel parcè admodum gustentur.

POTUS sit cerevisia probè defecata, Râcordial. bellid. vel
violar. vel C. C. usto alterata. Nodulus etiam ex stomachicis nec
ingratis, nec calidis nimis indi potest. Sedulò caveat, ne

frigidum nimis ingurgitet potum, sed paulò calefactum potius. *Vinum* ob febris malignæ præsentiam, præterquam in jusculis, vel caveatur penitus, vel parcè & ad medici demensum saltim bibatur.

QUIETEM & SOMNUM, (qui vel solus tædiosum hunc affectum sæpè compescit & mitigat,) æger ut capeßat, quantum fieri potest, studeat, quo nomine & *frontalia, emplastra ad tempora* &c. superioribus addi poterunt.

ANIMI PATHEMATA vehementiora absint, imprimis *ira* non indulgeat, nec curis nimium intentus sit.

EXCRETA & RETENTA ad naturæ leges, quantum possibile, conformentur.

TANTUM!

Post *myrrham* studio gravi politam
singultum socium febris malignæ
dum sistis, specimen legis secundum,
exemplumque paris novi laboris.

Hos, BECKERE, tuos calente voto
ausus excipio: Supremus illos
eventu velit esse gloriosos,
ut digno decorentur hinc brabeo.

BECKERO,

*Medicine Studiofo maximè industrio, Amico
& Auditori suo assiduo, animitus
sic gratulatur.*

Augustinus Henr. Faschius, D.

Anat. Chirurg. & Botan. P.P. Archia-
ter Ducalis Saxon. p.t. Academiae Rector.

Aufers

Aufers singultum, meliùs quò Fama loquatur
laudes, quas Fena largiter es meritus.

Præximo Dn. BECKERO,

Medicinæ cultori maximè industrio, de conatibus
hiscè egregiis animitùs gratulatur, studiisque
ejus optatos adprecatur progressus

*Rudolphus VVilhelmus Krauß/
Pbil. & Med. D. Prof. Publ.*

Quæ nostro assiduis hausisti ductibus ore,
quàm noris, cathedrâ bella togata docent.
Hactenus hæc nobis, alio sub sole probato
nunc eadem; Phœbus præmia digna dabit.

*Præximo Dn. Respondenti, Disput. hujus Autori
certo & doctissimo gratulab. scribeb.*

P R Æ S E S.

Nobilissimo & Literatissimo

DN. SIMONI ANDREÆ BECKERO,
ex Cathedrâ Medicâ publicè
iterum disputanti:

Singultus, febrium symptomata, discutis ore:
Doctâ eadem pelles, ominor, arte brevi.
Fauslæ gratulat. ergò scribeb.

Caspar Posner, P. P.

Urget in hos ausus virtus doctrinaque, cujus
rursus sub celebri Præsede ponis opes.
Quin & in hos ausus urget Te Patria nostra,
quæ studia & Musas æstimat æqua suas.

Ita

Ista suam de Te dum spem non cernit inanem
esse, Tuæ de se larga satisfaciet.

*Pex-Eximio Domino BECKERO de conversationis
Academica innocentia, improbo studio & egregiis
profectibus, simulq; optimo ipsius Parenti de optimo
Filio proluxa mente & incitata manu gratulatur*

Valentinus Belthem/
Moralium Prof. Publ.

S O N N E T.

Es sah/ mein Wehrtecker/ dich Söbus neulich streiten
bey seiner Musen-Zunfft/ die den Machaon ehrt/
da hat er alsobald die Gunst zu dir gelehrt/
und will zur hohen Burg der Ehren dich begleiten.
Doch weil des Streiters Ruhm sich weiter kan ausbreiten/
wenn sich die Tapferkeit durch fernern Kampf vermehrt
so strebt dein muntre Geist/ den Söbus selbst gelehrt/
durch diesen neuen Kampf nach wohlverdienten Beuten.
Ein unverdrohner Fleiß erlangt den Ehren-Lohn:
drüm fahre hurtig fort Machaons wehrter Sohn!
Die edle Vater-Stadt wird höchlich sich erfreuen/
Wenn du dich/ werther Freund / wirst glücklich stel-
len ein /
und durch die theure Kunst sehr vielen nützlich seyn.
Der Himmel wolle stets dein Lob und Glück verneuen.

Also wolte seinem geehrten Herzens-Freund
zu diesen und mehrern Ehren mit diesen we-
nigen Zeilen glückwünschen

Joh. Carl Heinlein/ aus Nürnberg.
Medic. Ddus.

